

est. Interim habe, in eodem Opere fateri Augustinum, præsentem Sanctorum jam vita functorum Beatitudinem in Cœlesti Hierusalem. Nam Enarration. in Psalm. cxix. ad ea verba: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est*, hæc scribit: *Incolatus peregrinatio est. Incola dicitur, qui habitat in terra aliena, non in Civitate sua. Fratres mei, quum peregrinatur homo, inter meliores vivit, quam in Patria sua forte viveret. Sed non sic est, quando de illa Hierusalem Cœlesti peregrinamur. &c. Non sic est Patria ILLA HIERUSALEM, UBI OMNES BONI. Quicumque inde peregrinatur, inter Malos est; nec recedere a Malis potest, nisi quum redierit ad Societatem Angelorum, ut ibi sit, unde peregrinatur. IBI OMNES JUSTI ET SANCTI, qui FRUUNTUR VERBO DEI sine lectione, sine literis: Quod enim nobis per paginas scriptum est, PERFACIEM DEI ILLIC CERNUNT. Quum in cap. 118. Enchiridii memoratur Augustino postrema Pax, quæ post hanc vitam in Requie Spiritus, deinde in Resurrectione etiam Carnis implebitur, nescio quid exsculpere inde possit Burnetus. Immo illic sub nomine Pacis, satis sanctus Doctor Beatitudinem Animarum designat, eoque magis, quum *Requiem Spiritus* ait; hæc enim voce idem significare consueverunt veteres, & Augustinus in primis Tractatu xxvi. in Johann. num. 16. ad illa verba: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet Vitam Aternam*, hæc adnotat: *Et ego resuscitabo eum in novissimo die. Ut habeat interim secundum SPIRITUM VITAM ATERNAM IN REQUIE, QUÆ SANCTORUM SPIRITUS SUSCIPIT. Quod autem ad CORPUS, NEC ejus VITA ATERNA FRAUDETUR, sed IN RESURRECTIONE novissimo Die. Quid significet Vita Aterna, norunt omnes in sacris Literis periti. Qui ergo dicit hæc Pacem, & Requiem in Resurrectione Carnis impleri, nihil aliud dicit, nisi Beatitudinem, jam in Anima inchoatam, compleri deinde ac perfici, resumpta & tunc primum beatificata Carne. Dixerat etiam Augustinus ibidem cap. 109. *Animas abditis receptaculis contineri, sicut unaquæque digna est vel Requite, vel Aernna*. De Receptaculis infra agemus. Interim vides, Animas hinc emigrantes, vel in Requiem deferri, vel in Aernnam, hoc est ad loca Beatorum, vel ad pœnas Inferorum. Eadem repetit Augustinus lib. xii. cap. 9. de Civitate Dei, quum ait, *Iustos, qui mortem obierunt, secretis Animarum Receptaculis Sedibusque Requiescere. Requiescere, quum de Justis ex hac vita profectis sermo est, nihil aliud esse, nisi Beatitudinem Justorum, non semel supra ostendimus. Hoc in Cœlo futurum est non in exsilio. IBI erit SANCTIFICATIO NOSTRA plena, UBI CUM DEO sine fine REQUIESCEMUS*, inquit idem Augustinus Sermon. 251. cap. 7.**

Ad hæc e libro primo cap. 14. Retraction. Burnetus, ut supra vidimus, quædam sancti Doctoris verba in suæ opinionis patrocinium adferebat. Liceat mihi integrum locum illum producere, ut quæ sit Augustini mens, Lector quisque mecum diligentius exploret. Scripserat in lib. de Utilitate credendi, cap. 3. *Dux sunt enim persone*